

Introductio

Ante ipsam tractationem quaestionis opus est quasdam generales observationes praemittere de natura et terminis tractatus, de ratione divisionis ac de fontibus adhibitis.

Imprimis observandum est diversas quaestiones earumque historiam: de conceptu curae et muneris pastoralis, de compatibilitate curae pastoralis cum statu religioso in genere, praesertim vero curae parochialis nos perpendere non intendisse. Hujusmodi enim quaestiones tractantur in operibus juridicis de jure religionum in genere et uti tales jam praesupponuntur, dum opus nostrum historico-juridicam inquisitionem exhibet de factis praeteritis et praesenti statu muneris pastoralis et juris ad parochias Franciscanorum apud croaticam gentem.¹

Neque hic activitatis pastoralis Franciscanorum historiam texere locus est, quod pro nunc vires ac tempus propitium superat. Sed nostrum propositum est in organisationem curae pastoralis, in ejus videlicet structuram seu formationem inquirere. Quare bene distinguendum est inter activitatem pastoraalem ejusque historiam et organisationem ejusdem actionis ejusque evolutionem in respectivo sensu; quamvis haec duo in causali relatione sint, altera in alteram influens, altera alteram creans atque modificans, ac proinde in quaestionis nostrae tractatione ad facta historica persaepe recurrendum erit.

Sub termino »organisatio« complecti intendimus constitutionem (Verfassung), formam seu formationem juridicam curae pa-

¹ Qui desiderat diffusam de hujusmodi quaestionibus historiam legere atque judicium canonistarum compatibilitatem ut indubiam affirmantium necnon Ecclesiae damnationem contra aliter sentientes videre, adeat inter alios et sequentes auctores et fontes: Gasparri, *Fontes*, I, 709, prop. 80; Guillelmi a Sancto Amore, *De periculis novissimorum temporum*, deinde *De pharisaeo et publicano*, ac *Collationes Sacrae Scripturae*, in *Opera omnia*, Constantiae 1632; S. Bonaventurae, *Apologia pauperum*, in *Opera omnia*, VIII, Quaracchi 1898, 233—330; Berlière U., *L'exercice du ministère paroissial par les moines dans la haut moyen-âge*, in *Revue Bénédictine*, XXXIX (1927), 227—250; 340—364; Hüfner, *Das Rechtsinstitut der klösterlichen Exemption in der abendländischen Kirche*, in *Archiv für kath. Kirchenrecht*, LXXXVIII (1907), 462ss; Odar A., *Škof in redovništvo*, in *Bogoslovni Vestnik*, XV (1935), 233ss; Karin K., *Redovničke župe i župnici redovnici prema sadašnjem crkvenom pravu*, Zagreb 1939, 25 ss et ibi allegati fontes et auctores; Bouix D., *Tractatus de jure religionum*, II, Parisiis 1857, 7ss, 175sq, 368sq; Engel, *Collegium universi juris canonici...* Venetiis 1718, 329; Ferraris, *Bibliotheca canonica, juridica, moralis, theologica*, II, Romae 1886, sub voce »Concursus« n. 57, p. 474; Reiffenstuel A., *Jus canonicum universum*, I, III, 37, 8 ed. Venetiis 1709, 617; Granelaud, *Jus canonicum juxta ordinem Decretalium*, II, Parisiis 1882, 474sq; Marković G., *Le parrocchie francescane in Dalmazia*, Zara 1885, 53—69.